

Heinrich Grossmann

## **Specimen Inaugurale Medicum De Principiis Morborum Recte Cognoscendis Et Curandis**

Buetzovii: Typis Joann. Gotth. Fritzii, [1771]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn885679962>

Druck Freier  Zugang




Universität Bützow


Med. Fak. 1771


Grossmann, Henri


*Bützow 021*











Q. D. B. V.

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

PRINCIPIIS - MORBORUM  
RECTE COGNOSCENDIS  
ET CURANDIS,

---

Q V O D

EX DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS  
MEDICÆ

IN

*ACADEMIA FRIDERICIANA BUETZOVIENSI*

PRO SUMMIS

IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET  
JURIBUS DOCTORALIBUS

OBTINENDIS

ANNO MDCCLXXI. MENSE OCTOBR.

EDIDIT

AUCTOR

HENRICUS GROSSMANN

SCHWARTZBURGO - RUDOLSTADIENSIS,

---

*BUETZOVII*

TYPIS JOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL.  
ET ACADEM. TYPOGR.



PRINCIPIS MORBORUM  
RECTE COGNOSCENDIS  
ET CURANDIS

IN PECTORE ET ALIIS FACULTATIBUS  
MEDICAE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE BUCHENANENSIS

IN ARTE MEDICAE HONORIBUS ET  
JURIS DOCTORALIBUS

ANNO MDCCLXXII MENSE  
OCTOBRI

AUCTOR  
HENRICHUS GROSSMANN

THE JOHNS HOPKINS LIBRARY, BALTIMORE, MD, USA  
AT ACAD. LIBR.

V I R O

ILLUSTRI ET EXPERIENTISSIMO,

D O M I N O

JACOBO FRIDERICO  
O E D I N G

SERENISSIMORUM DUCUM HOLSATIÆ GLÜCKSBURGI,  
ET AUGUSTOBURGI CONSILIARIO JUSTITIÆ,  
ET ARCHIATRO MERITISSIMO,

NEC NON

VIRO CONSULTISSIMO ET AMPLISSIMO

D O M I N O

JOHANNI PHILIPPO LUDO-  
VICO ALBINO

NOBILIUM PRÆFECTURÆ BOITZENBURGENSIS  
SECRETARIO DIGNISSIMO


ET

CIVITATIS BOITZENBURGENSIS SENATORI  
SENIORI VENERABILI

INAUGURALE HOCCE SPECIMEN  
PROPRIUMQVE, LICET TENUEM LABOREM  
SINCERO ANIMO, PIAQVE MANU,  
COMMENDATIONIS ERGO  
OFFERT,  
SIMULQVE FELICITATIS FLOREM, ET  
SANITATEM ILLIBATAM,  
QVANTA POTEST MENTIS RELIGIONE

ADP R E C A T U R

A U C T O R .



## PROOEMIUM.



Ad felicem morborum curatio-  
nem bina imprimis requiri  
momenta ratio & experien-  
tia dicitur, nempe ut origo morborum, &  
essentialis ejus indoles sollicite eruatur, his-  
que detectis, convenientia atque appropriata

A 3

in

in usum trahantur remedia. Jam HIPPOCRATES monuit: *Medicum ad Sanandum sufficere, si ad cognoscendum suffecerit, & secundum CELSUM: is minus recte curam suscipit, quem morborum origo & primordia fefellerunt.* Dolendum quidem, dari casus, ubi adhibito omni sedulæ indagationis studio, fons & vera morbi causa occulta & quasi involuta videtur, & sub prima invasione, symptomatum variorum concursu, propria morbi indoles & natura vix cognoscenda. In eo tamen pluri-  
mi morbi conveniunt, ut non repentinis æque gravibus insultibus ægrum corripiant, sed aliquod inter principium horundem, & in-  
cre-

crementum deprehendatur intervallum,  
quo Medicis conceditur, ulterius in qualita-  
tem morbi inquirere, & metuendis illum  
stipantibus gravibus molestiis & symptomati-  
bus tempestive obviam ire, eoque ipso, si  
non in prima herba morbum suffocare pos-  
sit, tamen typum ejus tolerabiliorem, & fini-  
strum eventum non raro præcavere valeat,  
secundum verficulum :

Principiis obsta, sero medicina para-  
tur,

Cum mala per longas invalere mo-  
ras.

Specimen Inaugurale exhibiturus inter alia  
medi-

meditata, nonnulla elegi consilia, scopum  
hunc respicientia, cui conatui, ut pro viri-  
um concessarum modulo satisfaciam, sum-  
mum atque benignissimum Numen sub-  
missis veneror precibus.



TRA-



## TRACTATIO.



### §. I.


Morborum principia variam quidem in  
Medicina interpretationem admittunt,  
prout ex compendiis medicis, syste-  
matibus, lexicis aliisque scriptis elu-  
cescit. De his locuturus ea intelligo tempora, quibus  
functionum naturalium læsio quædam percipitur, quo-  
usque morbus nondum perfecte formatus, vel certum  
typum nondum induit. Morbi siquidem ab interna

B

qua-



quadam præternaturali causa oriundi, raro simul & semel manifeste in apicem prodeunt, sed delitescunt subinde clandestine, pro modulo causarum, & reactionis naturæ, longo temporis spatio, ut his correpti prope modum nil extraordinarii sentiant, donec mora ingravescens, ex molestiis inde resultantibus, morbi accessus intelligatur; prout sub primordiis calculi, mali hypochondriaci, arthritidis, hæmorrhoidum, vermium &c. contingere solet. Alii quidem breviori temporis intervallo exacerbantur, ita tamen, ut distinctio inter principium, incrementum, statum & declinationem adhuc locum habeat qualem quidem sub insultibus variolarum, morbillorum, febrium exanthematicarum, aliarumque observatur. Sunt denique morbi insperatis, repentinisque insultibus ægrotos corripientes, quorum referendæ febres synochæ strictè sic dictæ, apoplexia sanguinea, catarrhus suffocativus &c. quantumvis, si modo causæ occasionales, atque prodromi horum morborum tempestive innotescunt, hos non plane principio carere experientia doceat. De morbis externis a causa quodam violenta, quorum vulnera, contusiones, fracturæ &c. referenda, sermonem hic non esse, vel me tacente intelligitur, quandoquid-



doquidem uno momento læsiones tales contingere solent.

§. II.

Hiscæ præmissis, facile apparebit, talem principii morborum ut plurimum esse conditionem, ut causæ sanitatis adhuc prævaleant, hæque morborum energiam, donec perfecte erumpat, quædantenus arcere possint, sive quod humores cujuslibet generis, vel partes solidæ adhuc ita comparatæ sint, ut certum tempus requirant, antequam sensibili ratione in deterius ruant, sive avtocratia naturæ, reactione sua, hostile ante debellare annitatur, quam formam sive typum, aucta ejus vi, obtinuit. Prouti ergo principium morbi illum statum involvit, quo valetudo naturalis adhuc sufficit ad remorandum morbi complementum, (§. I.) ita e contrario sanitatis post morbum renascentis principium est status ita dictus convalescentiæ, quo functiones ad modum naturalem redeunt, & reliquæ morborum succesive tolluntur.

§. III.

Ex partibus corporis constitutivis, functionibus illius naturalibus, juncto perpetuo accessu rerum sic

B 2

dicta-

dictarum non naturalium facile liqvet, morborum principia quædam semper in homine deprehendi, clandestina vocanda, & non adeo incongruum esse, quando perhibeam, unumquemque hominem integra valetudine gaudentem, fomitem morborum in sinu gerere, data causa occasionali se manifestantem; huncque certo respectu, itidem in principium & incrementum distingvi posse, quando prima morbi molimina quodammodo deteguntur, donec terminum ad quem attigere, morbus fere formatus, & symptomata hujus propria cuncta, certo modo & ordine apparuere. Hoc intervallum nonnunquam ad aliquot saltem momenta vel horas durat, nonnunquam uno, duobus, pluribusque diebus, hebdomadibus & mensibus pro varietate causarum, & individuorum absolvitur. In multis tamen morbis tres circiter dies transeunt, antequam de morbi specie certum quid statui possit, hinc est, quod trium dierum spatio principii terminus vulgo circumscriptum sit. a)

## §. IV.

a) vid. Leonh. FUCHSII Institutiones Medicinæ Lib. IV. Sect. I. Cap. 4. p. 652.



§. IV.

Ad principia morborum sic dictam cruditatem referendam esse, neminem dubitare arbitror, quando scilicet, teste JUNCKERO *humorum substantia, color & consistencia vel sanis similis, vel parum a sanitatis statu deflectit, adeoque coctionis tecmerio caret.* (§. III.) Raro enim brevi temporis spatio sic dicta coctio materiæ peccantis perficitur, ex signis intelligenda, sed præparatione certis limitibus inclusa indiget. Sequitur exinde, in principio morborum cruditatem maximam esse, insequentibus autem temporibus, si res bene procedit, magis magisque imminui.

§. V.

Sunt, qui principium morbi ad illud tempus protrahunt, quo coctionis seu maturationis signa manifeste deprehenduntur. b) Quod tamen de initio coctionis intelligendum videtur, nam perfectio ejus demum in statu, seu vigore morbi finem suum adsequitur. Ergo, quia coctio hæc terminum suum ultimum in summo morbi gradu demum attingit, per incre-

B 3

men-

b) FUCHSIUS lib. citat. p. 653.

mentum jam instituta sit, oportet, & coctionis faciendæ tempus non ad ejus principium, sed augmentum morbi proprie pertinere arbitror.

§. VI.

Alii principia morborum periodicorum, & speciatim febrium longius pariter extendunt, & eo usque durare statuunt, quoad paroxysmi sunt æquales vehementia, duratione, temporeque reversionis: quando vero citius redeunt, magis ac diutius affligunt, tum demum incrementum cepisse volunt. c) Verum enim vero, vix ac ne vix quidem fieri posse videtur, ut, ex quo febris semel ordinatum paroxysmorum typum obtinuit, non continuo, his ipsis accessionibus vim semper novam inferentibus, naturæ vires detrimentum aliquod patiantur, functiones magis magisque debilitentur, & sic malum ingravescat, sive ut plurimum paroxysmi longiores, vehementioresque fiant, celeriusque revertantur, quamvis aliquando, certis ex causis, actio paroxysmorum tantisper æque vehemens, & æque diuturna sit, eademque  
hora

c) vid. *Jod. LOMMII Observationes Medicinales* Lib. I. p. 27.

hora repetat; ita, ut salubrium detrimentum, & infalubrium diminutio pari passu ambulent, sive æquali modo & gradu contingant. (§. IV.) Rectius itaque vel distinctius febris totius principium usque ad ordinatum paroxysmorum initium computari videtur; post typum vero formatum, incrementum nuncupandum, & errare putandi, qui secus sentiunt, nisi forte priores paroxysmos, qui inter principia, ante obtentam morbi formam, inordinatius atque obscurius incidunt, hoc nomine intelligant.

§. VII.

Prout paroxysmi cum toto morbi decursu, præsertim in febribus, hoc habent ut plurimum commune, ut in principium, incrementum, statum & declinationem distingvi possint, ita non inepte judicandum, singulos paroxysmos quasi singulas esse febres, ab in hærente morbida dispositione de novo recrudescentes. & universam febrim, quæ vulgo vocari consuevit, esse complexum plurimum febrium sigillatim considerandarum. Id quod de paroxysmis aliorum morborum itidem existimandum.

§. VIII.

## §. VIII.

Principia ergo morborum, pro qualitate horundem diversa, etiam diversimode se habere, ex antecedentibus liquet, nunc indolem morbi futuri brevi detegunt, nunc occultis & ab ipsa natura quasi involutis symptomatibus incedunt, ita ut hæsitantem non raro Medicum reddant in determinando, quoniam morbi typus sit expectandus. Ad primam classem referendæ febres, horrore, cum insequente æstu se manifestantes, tam intermittentes, quam continuæ, inflammatoriæ, malignæ &c. quarum tamen diagnosi facilius est, quando epidemice grassantes observantur. Ad alteram classem pertinent symptomata pluribus morbis sub horum principiis competentia, quando actionum & motuum naturalium læsio quædam percipitur, & effectus horundem a consveta cuique ratione deflectunt: quando quis sine ratione manifesta de calore aucto, siti & anorexia conqueritur, somnus interruptus est, vel plane deficit, excretiones naturales vel sufflaminantur vel augentur, tædium ad labores svtos adest, urina a qualitate naturali deflectit, præcordiorum angustia, respiratio difficilis, anhela, suspi-



suspiriosa, stertens deprehenditur, sensus torpent vel nimis intenduntur, dolores variis in locis vagi, & imprimis in capite se exferunt, & quæ sunt signa plura, ad pathognomica tamen non referenda, & sub primordiis morborum non raro se exferentia.

§. IX.

Elucescit ex modo allatis, sub his morborum principiis, causas horundem ut plurimum minore adhuc vi agere, hinc quo recentius est principium, eo leviolem esse plerumque hucusque morbum. Neque aliter fieri potest, quandoquidem salutares naturæ vires prævalent exsuperantque, quibus frænum morbofis quasi injicitur, & quando facultas morbosa nondum radicata, & tam late diffusa existit. Sub his circumstantiis, haud raro rudimenta morborum, si recte omnia fiunt, facilius & citius, partim naturæ energia, partim artis adjumentis consiliisque tolli, vel saltem frangi possunt, plurimumque diminui, quam ubi jam mala per mo-

C

ras



ras invalere. (§. II.) Et quidem, ubi nulla cruditas subest, id est materia, corpusque statim ad evacuationem subeundam apta sunt, eodemque natura jam ducere videtur, sive evacuationis primordia molitur & concitat, malum e vestigio, brevique tolli poterit. Quando vero cruditas adest, tamen ab hac tempestiva curatione morbus levatur & maturatio paulatim variis correctionibus, immutationibus & actionibus perficitur. Neque tamen cruditatis tempore principium morbi determinari potest, nam per incrementum quoque cruditas quædam manet, licet sensim imminuat, & coctio fieri simul incipiat. (§. IV.) Sequitur exinde principiorum morbi considerationem & tractationem magni esse momenti, ne hic quidquam delinquatur: nam & errores tunc commissos sequentia tempora luere debent, & recte factis via ad felicem eventum conficitur.

## §. X.

Hiscæ præmissis, pedem promoveo ad Therapiam  
am




am principiis morborum accommodandam. Verum, quod deplorandum, Medicis raro contingere solet hæc felicitas, ut sub initium invaletudinis auxilium ejus & consilium expetatur, sed quando jam radices altiores morbus egit, tunc ægroti in cogitationes de recuperanda sanitate inducuntur. Difficultatem curationis augment morbi natura sua diversi, ex variis nonnunquam sibi contrariis causis in uno ægroto concurrentibus, ut Medicus in consilium vocatus, primo intuitu, sive accessu, sæpe nesciat, quam medendi methodum eligere debeat, v. g. quando scorbutus cum lue venerea, lumbrici cum febribus acutis, arthritis cum calculo, dysenteria cum hæmoptysi &c. simul in uno eodemque subjecto se exferunt. De Cel.

BOERHAVIO narratur, hunc ad ægrotos vocatum, sub recensitis circumstantiis, atque symptomatibus, ex quibus indoles morbi nondum detegi potuit, nihil tentasse, nisi summa necessitas id efflagitaverit, vel

C 2

ægro-



ægrotus ipse cura hac per expectationem non fuerit  
 contentus, sed strictissimam saltem injunxisse diætam,  
 genio nascentis morbi adcommodatam, eoqve ipso  
 finem desideratum obtinuisse, ut de qvalitate morbi  
 certus exstiterit, & formata ejus typo, remotisque,  
 beneficio hujus diætæ, haud paucis impedimentis, fa-  
 ciliiori negotio morbum depellere potuerit. Optan-  
 dum, ut Medici sub principiis morborum vocati ve-  
 stigiis hujus famigeratissimi Clinici insisterent, vel  
 insistere possent, cujus auctoritas apud ægrotos tanta  
 fuit, ut absqve difficultate vel contradictione his suis  
 consiliis se subjecerint. Verum consuetudo penes no-  
 strates, imprimis ditiores atqve nobiliores introducta,  
 præter diætam, qvam tamen non semper strictè ob-  
 servare solent, sublevationem ex fonte pharmaceutico  
 & chirurgico ab incunabulis morbi postulant.

§. XI.

Non negandum quidem, ab his subsidiis, mor-  
 borum

borum principiis oppositis, desideratissimum subinde esse expectandum successum, de quo in subsequen-  
tibus ulterior erit differendi locus; tantum tamen ab-  
est, ut diæta his postponenda, ut si non semper sensi-  
bili cum energia sub primis insultibus morbofis se  
exserat, tamen naturæ in suis moliminibus suppetias  
ferre possit haud levidentes. Huc referenda tempe-  
stiva abstinentia a cibis alibilibus, a quibus natura  
sponte sua ut plurimum abhorrere solet, ita ut, si in-  
vitæ obtrudantur, vana intentione virium conservan-  
darum, nausea corripitur, vomitus excitet, & va-  
riis sub decursu morbi anomaliis occasionem dare pos-  
sit. Recte ergo HIPPOCRATES locutus: *Corpora  
impura, quo magis nutritur, eo magis laderis.* Ven-  
triculo e contra a cibis vacuo, cruditates faciliori  
negotio imminuuntur (§. IV.) & typus morbi,  
nisi alia adfuerint impedimenta; recto tramite decur-  
rit. In locum hujus a cibis abstinentiæ succedet suf-



ficiens potus aquæ, five puræ, five ad palatum ægroti varia ratione præparatæ, quatenus cruditates, morborum fomites, diluit, cujuscunqve indolis fuerint, obstructions referat, liberiori humorum motui per vasa velificatur, aestum in febribus moderat, & tandem exclusionem, peracta coctione, rerum heterogenearum per organa convenientia promovet, ut proinde ab HOFFMANNO, aliisque Medicis non inepte *Medicina universalis* appellitetur. Hoc adhuc addendum, usum aquosorum non tantum sub principio morborum, verum & sub toto horum decursu, ratione circumstantiarum salutarem esse.

§. XII.

Ad adminicula a fonte diætetico sub principiis morborum petenda, conveniens moderamen circa aërem itidem pertinet. Penes vulgum nil magis familiare, quam sub primordiis febrium acutarum, præsertim exanthematicarum conclavia gradu adaucto calefacere, ea intentione ut non tantum sudor proli-

cia-

ciatur, verum & expectanda exanthemata, præsertim variolæ per peripheriam corporis expellantur, quantâ damna autem hac intempestiva medendi methodo contrahantur, per totum morbi decursum vix refarcienda, quinimo cum dispendio vitæ conjuncta, experientia proh! nimis quam frequens docet. Quando e contra statim ab initio morborum, imprimis febrim, aër admodum temperatus ægrotis conceditur, tunc calor & motus sanguinis morbo competens non intenditur, typus reactionum naturæ haud invertitur & anticipatur, sicque coctione rite absoluta, & evacuata materia hostili, terminus morbi, decenti ratione, obtinetur. Ut jam non dicam de mutationibus aëris impuri cum puriori, statim sub principio morborum, præsertim a contagio ortorum, quantam refectionem ægroti persentiscant, si quando effluvia contagiosa removentur, & abiguntur, ne corpus semper circumfundendo vim contagii augeant.

§. XIII.

Ordo jubet, ut ad præsidia morborum principiis opponenda, a chirurgia expectanda me accingam.



gam. Eminent illa inter, sanguinis ventilatio, sectione venarum administranda. Si excurrere hic animus esset, in amplissimum dicendorum exspatiarer campum, recensendo singulas ægritudines, quibus tempestiva sanguinis subtractio suppetias ferre potest plane egregias. Sufficiat ergo præmonuisse, venæsectionem penes Medicos distingvi in *evacuatoriam*, *revulsoriam* & *derivatoriam*, eandemque ratione hujus diversitatis, sub imminente valetudine adversa in usum tractam vel banc brevi depellere, vel metunda sub decursu symptomata præcavere vel imminuere posse. Quod ad venæsectionem *evacuatoriam* adtinet, illum sub sic dicta plethora ad vires, ad morbosas molestias exinde pedetentim ingravescentes tollendas, omnibus remediis præferendam esse, experientia docet. Quantitas namque nimia sanguinis jam commota, ratione individuorum, congestionibus, infarctibus, oppletionibus, febribus acutis, inflammatoriis, synochis, spasmodicis, apoplexiæ, hæmorrhagiis periculosis, aliisque consimilibus adfectibus ansam suppeditare potest, quibus metuendis symptomatibus sanguinis sinceri detractio

ctio

Etio sufficiens cito institvenda, & urgente necessitate, bis vel ter repetenda summa cum euphoria opponi potest. Ita enim CELSUS d) *Adhæc in plurimis morbis, & in illis hominibus, qui facile viribus deficiunt, non omnis, quæ abundat, sanguinis copia simul effundenda est, sed iterato, paulatim id faciendum, intermisso nycthemero, duodecim horis aut minus, nam idem natura repetitis vicibus perficere solet.* Sub incremento namqve morborum, typo horundem jam formato, ventilationem sanguinis ut plurimum plus detrimenti, quam auxilii adtulisse, creberrimæ observationes docuerunt, nisi speciales circumstantiæ id efflagitaverint.

#### §. XIV.


Circa Venæsectionem *evacuatoriam*, quatenus sub principiis morborum conducatur, quæstio moveri possit, annon Venæsectio *prophylactica*, sive *preservatoria* cum illa pari passu ambulet? Nec negandum, perutilem eandem esse sub istiusmodi morbis, qui per periodos, itemqve paroxysmos, vel certis temporibus revertere consueverunt. Si etenim non penitus ab-

D

hinc

d) de *Medicina* Cap. 10. p. 81.






hinc averruncantur, tamen longe mitiori gradu ægrotos corripere solent. Hæc est ratio, cur a tot retro annis venæsectiones præservatoriæ tempore vernali & autumnali fuerint institutæ, & in hunc usque diem continuentur, & quod his adsveti male sanitati futuræ consulant, quando stata illa tempora absque fonticis causis neglexere.

§. XV.

Restat, ut de Venæsectione *revulsoria* & *derivatoria* quædam moneam. Constat penes omnes, sub illa intelligi evacuationem sanguinis ad partes contrarias & distantes, sub hac retractionem sanguinis ex parte vicina. Litem meam facere nolo, an distinctio illa in praxi locum habeat, nec perinde sit, quamnam venam Medicus velit eligere secundam. Otium itidem mihi fecit D. *Georg Christian OEDER* in pererudita, & multam lectionem indicante Disputatione de *Derivatione & Revulsione*, sub Præsidio Cel. D. *SEGNERI* habita, ad quam B. L. volo ablegatum. Largior quam lubentissime, posthabito hoc a Medicis discrimine, finem desideratum sæpe fuisse obtentum,  
modo



modo sufficiens quantitas sanguinis abundantis, tanquam morbi causa fuerit imminuta, & v. g. menses suppressos a venæsectione in brachio iterum revocatos; vel justo copiosiores a tusa in pede vena fuisse imminutos, ut alia exempla brevitatis ergo silentio præteream. Verum enim vero, quando, non obstantibus hydraulicis principiis, imprimis ab HAMBERGERO e) prolatis, experientiam fide dignissimorum Medicorum consulamus, differentiam hujus venæsectionis negare nequiquam possumus. Sit in exemplum Pleuritis vera, hanc tempestitiva & sufficiens sanguinis ventilatio, & quidem in brachio lateris affecti plus auxilii adferet, quam si in latere opposito, vel in pede sanguis detrahitur. Pariter sub principio phrenitidis, apoplexiæ sanguineæ, aliarumque ex cumulo in capite sanguine oriundarum ægritudinum sectio venæ jugularis, præmissa vel subjuncta, pro re nata, venæsectione derivatoria, magis præstabilem & præsentaneum effectum post se trahet, quam si hæc sola fuerit administrata. Hæmorrhoides suppressas vena

D 2

in

e) in Disput. de Venæsectione, quatenus motum sanguinis mutat.



in pede tusa citius revocat, quam in brachio. Inflammationem penis, vena secundum longitudinem ejus decurrens aperta, brevi compefcere, & priapismum cum illa conjunctum tollere solet, ut alia exempla silentio præteream.

§. XVI.

Quod *Scarificationem & Vesicatoria* concernit, ab his præfidiis sub principiis morborum adhibendis magnum interdum emolumentum est expectandum. Si quando e. g. mox a morsu canis rabidi, vel animalium venenatorum cucurbitulæ partibus læsis adplicantur, deleterium horum virus cum saliva communicatum non raro prius extrahitur, quam in humores vel massam sanguineam, cum eventu ut plurimum funesto, intraverit. Vesicatoriorum usum amplissimum animadvertere a scopo præfenti alienum, qui effectum horundem sub principiis nonnullorum morborum sæpe præstabilem tantummodo tangit.

Tem-

Tempeſtiva namqve harum ad ſuras applicatio imminentem apoplexiam ſeroſam præcavet, dolores lateris punctorios ſat graves a pleuritide ſurgentes tollit vel moderat, quando lateri dolenti imponuntur; Iſchuriam & ſtranguriam gravem mitigat & arcet oſſi ſacro admotum veſicatorium, quæ moleſtiæ diu durantes in ſenibus sæpe immedicabiles eſſe poſſunt; exanthemata retropulſa exinde revocantur, & ſic porro, quatenus revellendo humores agunt.

§. XVII.

Tandem de methodo ſubveniendi principiis morborum, ex fonte pharmaceutico petenda, quædam ſubjungenda. Ambitus huc referendorum tantus eſt, ut diſſertatione hac complecti non poſſit, ſufficiat proinde, nonnulla ſaltim tetigiſſe. Primum locum obtineant *Vomitoria*, utpote quæ jure meritoqve inter heroica remedia, ex præſentaneo effectû, collocantur. Ventriculus namqve rebus heterogeneis, dyspeptis,

vel copia molestis repletus, tempeſtively vomitorio propinato, a ſaburra hac liberatur, febres exinde facile propullulantes intermittentes & continuæ vel præoccupantur, vel mitiori longe gradu procedunt, & citius terminantur. De febribus malignis atqve contagioſis notum, has mediante aëris cum ſaliva commixti deglutitione omnium facillime propagari poſſe, quod præſertim penes tenuioris ordinis homines obſervare licet, qui in conclavibus, ubi ægroti decumbunt, cibos capere conſueverunt; communicatur hac ratione contagium cum alimentis, & quamdiu maxima hujus portio in primis viis adhuc deliteſcit, brevi manu e corporis pomœriis per vomitum rejici poteſt, anteqvam ſanguinem intravit. Cautela hæc itidem paullo poſt rei alicujus venenætæ aſſumptionem neceſſaria, ne deleteriam ſuam qualitatem in corpus exſerere valeat. Videmus sæpe numero naturam hoc in negotio præeuntem, quando prævia nauſea, & ſpontaneis vomitibus adſumptum noxium expellere conatur.

tur. *Eccoprotica* itidem sub initium quorundam morborum propinata salutaria esse indicat alvus obstipata, & præsentia fordium & cruditatum in intestinis reperibilium, a quibus molestiæ morbosæ vel derivandæ, vel a quorum diuturniori mora symptomata facile exasperantur. Quibus adhuc præferenda *Enemata*, a quorum usu typus morbi, cujus indolis etiam expectandus, nulla ratione perturbatur, potius ægri a flatibus atque quisquiliis, varias anomalias atque turbas excitantibus sublevantur.


§. XVIII.

Supereffent adhuc varia momenta medendi methodum sub morborum principiis respicientia, v. g. quando tonus emendandus, motus justo languidiores excitandi, irregulares alterandi & corrigendi fortiores temperandi, item quæ morbos speciales, Malum hypochondriacum, Scorbutum, Luem veneream, Vermes &c. tangere possent. Sed hæc omnia enar-


enarrare nimis foret prolixum & terminos finesque huic Dissertationi constitutos egrederetur, hinc principaliora tetigisse sufficiat. Deo interim humillimas gratias persolvo, quod ad præsentis Thematis explicationem qualemcunque vires largiri voluerit, quem devotis etiam precibus flagito, ut reliquos conatus meos prospero ac salutari successu coronet!

T A N T U M.




















itidem sub initium quorundam mor-  
a salutaria esse indicat alvus obstipa-  
fordium & cruditatum in intestinis  
a quibus molestiæ morbosæ vel deri-  
porum diuturniori mora symptomata  
tur. Quibus adhuc præferenda *Ene-*  
o usu typus morbi, cujus indolis e-  
us, nulla ratione perturbatur, potius  
atque quisquiliis, varias anomalias  
citantibus sublevantur.

## §. XVIII.

ent adhuc varia momenta medendi  
morborum principiis respicientia, v.  
is emendandus, motus justo languidi-  
irregulares alterandi & corrigendi  
randi, item quæ morbos speciales,  
ondriacum, Scorbutum, Luem vene-  
&c. tangere possent. Sed hæc omnia  
enar-

